152

1532 d. 20. Junij

Sigismundus primus Rex Poloniae
Josto de Rosenberg.

Spectabilis et magnifice sincere nobis dilecte!

Intelleximus desiderium et postulacionem Stis tuae quam nobis et literis et nunciis suis de ducentis equitibus levis armaturae in Regno nostro Conducendis declaravit. In qua Postulacione id quod per domestica impedimenta et impendencia ab hostibus pericula praestare et concedere non potuimus, necessariis rationibus excusavimus, sicut haec verbis Coram Stis tuae nuncij illius declarabunt. Quare Stas tua. et illud quod fieri potuit, et hoc quod non potuit, prudenti animi sui gratitudine a nobis suscipiet. Nos enim nisi et Foederam cum Turcis initorum, et belli cum Valacho hoste nostro suscepti aliorumque finitimorum infidelium hostilitatis in praesentia rationem haberemus nihil nobis iucundius duceremus, quam haec salutaria in reprimendo communi omnium hoste studia quantula unque ope nostra adiuvare, verum cum et tempus et occasio non idem nobis quod

religio

veliquis Principibus Christianis concedunt, illud agere et amplecti hoc tempore curabimus, quod et honestati et Commodo Regni nostri proximius accedere nobis videbitur. Quod et Sinceritatem tuam Judicio suo nobis consensuram putamus. Quae bene valeat. Dat. Cracoviae 20. Junij anno Domini 1532. Regni nostri anno 26.